



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Vrbani Papae V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

modis & forma, quibus nos & eos dicti domini legati constitutiones statuerunt obligari.

ANNO  
CHRISTI  
1355.

In cuius rei testimonium praesentes literas per infra scriptum notarium publicum in formam publicam redigi, ac nostri sigilli appensione mandauimus communiri. Datum loco, die, mense & anno predictis, praesentibus venerabilibus & discretis viris Hugone de la Manham a legum doctore de Maiorito, ac Didaco Gonsalui de Talauera, archidiaconis, ac Ioanne Alphonso de Villa regali canonico ecclesiae Toletanæ, testibus ad præmissa vocatis.

Et ego Alphonsus Fernandi publicus auctoritate archiepiscopali in ciuitate & dioecesi & prouincia Toletana notarius, predictarum constitutionum editioni, publicationi, ratificationi, ac omnibus & singulis supradictis vna cum prænominatis testibus præsens interfui, & in praesentibus literis meum solitum signum apposui rogatus in testimonium veritatis.



## VITA VRBANI PAPÆ V.

ANNO  
CHRISTI  
1362.

**V**RBANVS quintus patria Lemouicensis, antea Guillelmus Grifant appellatus, ex abbe sancti Victoris Massiliensis ad summum ecclesiæ fastigium electus est quinto Kalendas Octobris, anno Christi 1362. sub imperio Caroli IV. imperatoris, eo scilicet tempore, quo apud vicecomites legatione fungebatur. Auenionem profectus sua singulari animi magnitudine qua preditus erat, cardinalem Ægidium (de quo supra) in Italiam misit, ut libertatem ecclesiasticam tueretur. Eodem etiam ipse pontificatus sui anno quarto se contulit, ut controversias ibidem exortas sedaret & componeret. Quibus soperitis, cum pia vrbis loca visitaret, sanctorum Petri & Pauli capita in loco satis vili reperit: quæ auro argentoque circumdari & exornari procurauit, solennique pompa in Laterano reposuit. Orquieti & in Montefiascone palatia cultissima extruxit, quod ea loca propter aeris tempe- riem sibi posterisque suis conuenientissima essent. Mor-

tuo Aegidio cardinale, Ioannem Haucut ducem bellicissimum militiae ecclesiastice præfecit. His peractis, in Gallias se recepit, ubi vir iuxta chronicum Hirsaugiense doctus & sanctissimæ conuersationis, qui crucem prædicari fecit contra Turcas, & multa bona patrauit, post octauum annum & mensem secundum administrati pontificatus, decimoquarto Kalendas Ianuarii, anno 1370. diem clausit extreum, eo tempore quo Brigitta mulier deuotissima causa reddendi voti Romam venerat.

VITA  
GREGORII PAPÆ XI.

ANNO  
CHRISTI  
1370.

**G**REGORIVS vndecimus natione Lemouicensis, antea Petrus Bellifortis vocatus, decimo septimo ætatis suæ anno cardinalis per Clementem sextum patrum suum creatus, virtutum merito omnium consensu supremum ecclesiæ gradum concendit tertio Kalendas Ianuarii, anno Domini 1370. tempore Caroli IV. imperatoris. Hic cum totam Italiam tumultibus occupatam videret, eo cardinalem Gebennensem cum sex millibus leuis armaturæ equitum Britonum misit. Quorum aduentu cum nihil a tumultuatione recederetur, ipse pontifex confirmato animo, viginti & vnam triremes super Rhodano præparari imperauit, alioque properare se fin gens, primo Genuam, inde Cornetum, ac postremo itinere terrestri Idibus Ianuarii Romam peruenit, anno 1376. qui erat a translatione curiæ Romanæ in Gallias per Clementem facta annus septuagesimus. Huius transmigrationis causam alii aliam referunt. Platina scribit, quod quidam episcopus familiariter a pontifice reprehensus ob id quod in episcopali fide non resideret, infraicto & constanti animo responderit: Et tu qui vniuersalis ecclesiæ omniumque episcoporum caput es, cur ad propriam ecclesiam non redis? eaque responsione motum pontificem redditum maturasse. Gobelinus cap. 73. sextæ ætatis, instinctu & reuelatione Dei, quæ sanctæ Brigitæ tunc adhuc Romæ degenti aliquoties obtigerat, perque Alphonsum quemdam eremitam illi secundo insinuata

Concil. Tom. 29.

S. ij